

ciant, celeriterque uti redeant, monet. Equites plani-
 tiem nacti magnam atque apertam, agrestes homines ino-
 pinantes, quod se ab illis tutos opposito reipublicæ exer-
 citu fore credebant, capiunt; vi eos diripiunt; incen-
 dunt; qui se defendere parant, interficiunt: in quibus
 fuerunt agrestes ducenti, qui Vicetia missi, ut ad Zan-
 canium contenderent, in eos ex itinere inciderunt. Ea
 re a proximis audita, usque eo fugere omnibus ex parti-
 tibus contenderunt, ut cum duorum fluminum objectu
 Plavis Silisque hostes impedirentur, quorum alterum nul-
 lo tempore vado transiri potest, alterum ita sæpe auge-
 tur, ut magnum etiam detrimentum vicinitatibus inferat,
 ad urbis tamen æstuaria plerique nullo loco commorati
 pervenerint; neque Taurisanorum modo, sed Patavino-
 rum etiam magna multitudo timore se in oppida recepe-
 rit. A Forojulensium magistratu autem Græci equites,
 Italique, qui sagittis utebantur, ex oppido emissi trecen-
 ti, ut si qua possent, hostibus nocerent, partem nacti
 centum eorum occiderunt. quod si Zancanius cum suis,
 quorum erat magnus numerus, in hostes impetum auda-
 cter fecisset: honestiorem res exitum habere potuisset.
 sed is pedem porta egredi adoriendi hostes causa nemini
 omnino homini ex suo exercitu permisit. Turcæ qui ex-
 currerant, præda facta cum ad ducem redire vellent, at-
 que ad Tillaventi fluminis ripas, quod ea nocte creverat,
 pervenissent, quo latum flumen trajicere facilius possent,
 superioris ætatis quos habebant captivos, in ripa fluminis
 ad duo millia interfecerunt: reliquos traduxerunt, &
 præda onusti una cum duce, qua venerant, abierunt.
 Zancanius imperii male gesti accusatus, cum in Senatu a
 magistratibus defenderetur, iique legem tulissent, qua le-
 ge Zancanio imperium prorogabatur, Franciscus Bolanus
 Quadraginta virum rerum capitalium magister legem tu-
 lit, ut is ad urbem evestigio rediret, carcerique se dede-
 ret: eamque legem Senatus frequens damnata altera com-
 probavit. qua ex re Bolanus magnopere laudatus, paulo
 post, quo die cives sexaginta suffragiis comitialibus deli-
 gun-